Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 221
Quelle:
Copyright:

qui Provincialis, ut vocant, *Franciae* obiit a. 1321. relictis *Moralitatibus* in S. Biblia, sive, ut volunt Ordinis Bibliothecarii T. I. p. 548. *Postillis*, e quibus postea *Moralitates* excerptae fuerint. Id, quod veri simile fit cum e *Codicibus mss.* quos ibidem excitant, tum e formula nostra: *post fratrem Jacobum*, quasi dicas, spicas in ejus agro lectas. Convalescit id e collatione; adjacet enim mihi Editio perrara *Operis Moralitatum preclarissimi Fratris Jacobi de Iusanna* &c. *Lemouicis* 1528. 8. ad cujus calcem hae *Moralitates a Postillis excerte* dicuntur. Quamvis vero non idem hujus Editionis, ac nostri Exempli Excerptor fuerit, manifeste tamen adparet, utrumque suas in eodem agro spicas legisse. *Postillae* ipsae lucem nunquam videre, neque integrum earum Exemplar nactus fuisse videtur *Lemovicensis* Editor ille, qui *Moralitates in Prophetas minores* omiserit, quibus pollet Codex noster a *fol.* 219. Quamvis, ne quid dissimulem, et *Joel* initio, et *Habacuc* fine, et *Osee* utrinque mulctatus sit. Quam parum etiam Noster dissimulaverit, argumento sit Conclusio *Proverb. fol.* 209. *Sic multi intrant ouile ecclesie per multas fraudes, sed cum optinent, bonos opprimunt et sepeliunt, malos exaltant et nutriunt. Nota de milite normanno, qui uerberabat* (canes) *leporarios et defendebat lupum contra eos. Nota truffam* (jocum) *et applica.* Item Conclusio *Habacuc fol.* 268. p. 2. *Ecce iste coopertus est auro et argento. Et omnis spiritus non est in uisceribus eius. Hoc potest dici de multis in ecclesia. Cooperti sunt auro et argento propter dignitatem quam habent et tamen nil spiritualitatis habent in se. Nota factum 1. Reg. 19. quomodo nuncii regis contenderunt invenire david. Et inuenerunt statuam et pellem pilosam caprarum ad caput eius et hoc totum fecerat michol. Applica ad canonicos et prebendatos in ecclesia.*

CXLVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 29
Folior. 418. f. per duas columnas bene scriptus et rubricis distinctus e memorati *M. Thomae Wölfel de Wuldersdorf* Legato continet *Nicolai de Lira* O. M. *Postillas in Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum* et *Psalterium.* Ad oram infimam p. ult. *ego sigismundus* (Puchperger) *finivi martini 1454.* Saepius has *Postillas* et seorsim, et cum *Bibliis* glossatis typis vulgatas fuisse, jam non semel diximus.

CXLVIII.

Codex chartaceus membranis U. 37
immixtis lat. Sec. XV. Folior. 412. f. per duas columnas probe scriptus et rubricis distinctus, legatusque olim a noto *Thoma Haselbachio* Collegio Ducali *Vien.* ut praevie notatum est, hunc praefert Titulum: *Exposicio bugonis postillatoris super Proverbia Salomonis.* Ita deinceps in *Ecclesiasten,*